

dines cum patrimonio minus sufficienti ad sui congruam sustentationem, tenetur Episcopus tamdiu ex proprio supplere, donec promotus competens Beneficium fuerit assecutus.

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Septembris 1784 Visen.) Vide, quae sequuntur et pag. 508. g., 509. h.

b) Episcopus facultate apost. concessa sine titulo ordinare potest.

S. Crucis in Indiis Occident.

(Conc. Tr. C. 2. S. 21. De ref.)

Licet a s. Concilio Tridentino sess. 21. cap. 1. de reform. statum fuerit, neminem promoveri posse ad sacros Ordines, nisi prius legitime constet eum habere beneficium ecclesiasticum sufficiens ad honestam sustentationem vel ad minus patrimonium vel pensionem, in hypothesi tamen, in qua Episcopus judicaverit, quod obtinens patrimonium seu pensionem sit ad Ordines assumendus pro necessitate vel commoditate Ecclesiae, et antiquorum Canonum poenae fuerint ibidem a sacro Concilio innovatae, non ita quidem, ut Ordinatus sine titulo sufficienti sit suspensus et ministrando fiat irregularis, juxta *textum in Can. neminem et in Can. Sanctorum dist. 70.*, sed ita, ut ordinans teneatur sic ordinato alimenta subministrare, donec ille beneficium ecclesiasticum consequatur, juxta *textum in cap.: Cum secundum de praebendis*, et late disputata ad sensum hujus Sacrae Congregationis per *Fagnanum in citat. cap.: Cum secundum num. 23. et seqq.*, ubi solum sub num. 68. docet, poenam suspensionis clericum sine titulo sufficienti ordinatum afficere in casu, in quo ipse Ordinantem deceperit, falsas producendo probationes super sui tituli congruitate et licet interpretando

allegatum textum Concilii Sacra haec Congregatio de mense Octobris anni 1589 ut in registis lib. 6. pag. 58. plura proposuerit generalia dubia examinanda, inter quae illud reperitur: *An habens ex propria industria et honesto labore tantum lucrum, quantum satis est ad vitae sustentationem promoveri valeat? Negative* responderit.

Exempla nihilominus non desunt, in quibus urgente Ecclesiarum necessitate concessum fuit, ut fieri posset ab Episcopis ordinatio clericorum saecularium etsi illi nec beneficium nec patrimonium obtineant; et praetermissio quidem exemplo Ecclesiae Metropolitanae Florentinae, in qua usque adhuc viget privilegium ab Eugenio IV. concessum, ut Clerici, qui eidem inservierint spatio decem annorum, ordinibus sacris initiari subinde valeant licet nec beneficium nec patrimonium obtineant, a Summo Pontifice Urbano VIII. die 13. Martii 1640 concessum fuit Alumnis Seminarii Pragensis, ut ordines recipere valeant sine titulo beneficii aut patrimonii, sed solum ad titulum Missionis, prout ab eodem Pontifice praecedenter concessum fuerat die 18. Maii 1638 Alumnis Collegii de propaganda fide. Alumni Collegii Illirici a Gregorio XIII. instituti et ab Urbano Papa VIII. restaurati in Civitate Lauretana privilegio potiuntur ordinationis sine Beneficio ecclesiastico et patrimonio, nulla facta mentione tituli Missionis, ut legitur in privilegio ab eodem Urbano concessio prima Junii 1627. Consimile est privilegium ab eodem Pontifice concessum Collegio Fuldensi pro Scholaribus Germaniae nationis necnon Collegio Pragensi, uti plenius deprehendi valet ex collectione Bullarum et decretorum Congregationis de Propaganda Fide impressa, sed numquam absoluta nec publicata.

Cohaerenter ad haec Episcopus sanctae

Crucis de la Sierra in Indiis Occidentalibus, cum in suis literis ad Sanctissimum Dominum nostrum latis exposuerit, quod in civitate sancti Laurentii della Baranca, quae loco alterius sanctae Crucis, quae amplius non existit, subrogata fuit, duo tantum sunt Parochi et duo Ministri in Cathedrali, Decanus videlicet et Archidiaconus, quodque nullus superest modus capellanas aut beneficia erigendi, ad quorum titulos clerici ordinari valeant et quod tandem impossibile est extraneos advocare, qui ad dictas regiones accedant, ex quo nullum est hujus provinciae cum aliis commercium et sic Sanctitati Suae supplicaverit pro facultate initiandi sacris ordinibus ejus regionis incolas, licet titulum beneficii aut patrimonii non habeant et multo magis, cum nullum adsit periculum, quod Promoti mendicare conspiciantur, quia nullus in dicta regione est, qui mendicet et a Sanctitate Sua fuerint preces remissae ad Sacram Congregationem, disputandum in praesenti proponitur dubium:

*An Episcopo sanctae Crucis de la Sierra sit indulgendum, ut promoveri valeat ad sacros Ordines in Civitate sancti Laurentii della Baranca eos, quos ipse necessarios judicaverit, licet nec beneficium nec pensionem nec patrimonium obtineant?*

S. C. C. resp.: Pro gratia, dummodo non excedat numerum duodenarium.

Die 8. Julii 1718.

c) Fictus.

Qui cum ficto titulo promovetur incidit in suspensionem ex *Canon. neminem, 1., Canon. Sanctorum distinct. 70.*, quae innovata fuerunt a Concilio Trident. sess. 21. cap. 2. De reform.

(Ex resol. S. C. C. diei 30. Junii 1804. Aveirensis.)

d) Graecorum.

Vd. t. III. pars I. pag. 252. n. II.

e) Qui sunt legitimi tituli?

Vd.: *Tit. Ord.* (ex pecuniis etc.)

f) Obligatio.

Ne Sanctuarii Ministri pro necessaria sustentatione cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere cogerentur, Tridentina Synodus sess. 21. cap. 2. de reform. statuit: *Ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias sit idoneus, ad sacros Ordines promoveatur nisi prius legitime constet Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. . . . Patrimonium vero vel pensionem obtinentes, ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus judicaverit assumendos pro necessitate vel utilitate Ecclesiarum suarum, eoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint.*

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Januarii 1783. Interamnen.)

Concilium Tridentinum praecepit, ut in seligendis Ecclesiae Ministris non solum perspecta sit illorum pietas et scientia, sed insuper ipsorum decori prospexit voluitque, ut congruum patrimonium haberent, ne in dedecus Ordinis mendicare aut vile aliquod ministerium exercere cogantur; quapropter sess. 21. cap. 2. de reform. statuit, quod nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi Beneficium ecclesiasticum obtineat; jussit praeterea, quod *Patrimonium vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint nisi illi,*

quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtineri taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extinguī vel remitti nullatenus possint, donec Beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant unde vivere possint: antiquorum Canonum poenas super his innovando. Hinc arguunt Fagnanus in cap. Episcopus de Praebendis et Dignitatibus, et Benedictus XIV. inst. 26. num. 28. ad 30. nullam ipso jure esse quamcumque alienationem de bonis patrimonii sacri inscio Episcopo factam, quamvis Ordinatus de ecclesiastico Beneficio fuerit provisus.

(Ex resol. S. C. C. diei 5. Apr. 1783. Tusculana.)

g) Episcopus ordinans sine titulo (poenae.)

Vd. p. 505. 5. a.

Episcopus cogitur ad alendum Clericum, quem vel sine titulo vel cum titulo minus idoneo ad sacros Ordines promovit. Remota culpa Episcopi, si titulus vel casu vel facto Clerici minus idoneus evaserit, Episcopus numquam tenetur alimenta Clerico praestare.

(Ex resol. S. C. C. diei 20. Augusti 1804. Perusina.)

Qui sine titulo absque dolo et fraude ordines suscipiunt, irretiti non sunt suspensione, sed Episcopus ordinans eos alere tenetur ex cap. Cum secundum de Praeben. A dolo et fraude non abesse videtur, qui falsis dimissorialibus ordines suscepit.

(Ex resol. S. C. C. diei 30. Junii 1804. Aveirensis.)

Nulla ex jure canonico poena indicta est contra Ordinatum, sed tantummodo contra Ordinantem. Cap. Cum secundum de Praeben. num. 6. Barbos. ad Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. n. 67. et de offic. et potest. Episcop. part. 2. allegat. 20. n. 27., Gallemart. ad citat. cap. Concil. Trident., Fagnan. in dicto cap. Cum secundum num. 63. et hanc semper fuisse Sacrae Congregationis sententiam, ut refert Bened. XIV. Instit. Eccles. 21. n. 15., dummodo tamen Ordinatus dolo fictoque titulo Ordinantem non deceperit. Nec aliter decerni in Instructione benedictina pro regionibus Sardiniae regi subjectis exarata, quippe quia contendit, suspensionem in ea indictam consentaneam esse regulis canonicis et tridentinae sanctioni, quibus non fuit derogatum.

(Ex resol. S. C. C. diei 31. Augusti 1771. Alexandrinen.)

Ex jure antiquo indicta fuit suspensionis poena iis, qui absque titulo sacros Ordines suscepissent, Cap. Neminem et cap. Sanctorum dist. 70. Verum Innocentius III. in cap. Cum secundum de Praeben. et Dignit. veterum Canonum rigorem moderatus est sublataque suspensionis poena mandavit „tamdiu per Ordinatos vel Successores eorum provideri Ordinatis, donec per eos ecclesiastica Beneficia consequantur.“ Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reform. contra initiatos sacris Ordinibus absque sufficienti titulo poenas veterum Canonum iterum innovavit per haec verba: „Antiquorum Canonum poenas super his innovando.“ Sixtus V. in Constit.: Sanctum et salutare anni 1588 poenam suspensionis a priscis sanctionibus inflictam iterum confirmavit et Clemens VIII. in Constit.: Romanum Pontificem anni 1595 lis termi-

nis conclusit, qui a Tridentina Synodo fuerant praefiniti Barbos. in dicto cap. Concil. Trident., Fagnan. in cap. Cum secundum de Praebendis n. 67. 68., Benedictus XIV. Instit. 26.

Cum itaque disceptatum fuisset, an per illa verba Concilii Tridentini sess. 21. cap. 2., videlicet: Antiquorum Canonum poenas innovando, censeatur innovata poena indicta in cap. Neminem et in cap. secundum dist. 70., ilaut, qui post Tridentinum sine titulo Ordines suscepisset, suspensus, et si ministrasset, irregularis evasisset, Sacra haec Congregatio censuit: „fuisse innovatas dumtaxat poenas cap. secundum de Praebendis.“ Ita apud Fagnan. loc. citat. num. 63., qui etiam refert, quod quaerente quodam Ordinato cum minus sufficienti patrimonio quid sibi agendum esset, ut ad Sacerdotium promoveri posset, Sacra Congregatio declaravit: „Si patrimonium, ad cuius titulum Orator est ordinatus, minus sufficiens sit ad ejus sustentationem congruam, teneri Episcopum tamdiu ex proprio supplere, donec per ipsum Episcopum in sua vel alia Ecclesia fuerit competens beneficium assequutus, ideo deberi ad reliquos Ordines Oratorem ab Episcopo promoveri.“

Si tamen res sit de Ordinato sine titulo, quem ementitis probationibus Ordinatus effinixerit, ut Ordinantem deciperet, tunc Ordinatus incurrit suspensionis poenam indictam in cap. Neminem, et in cap. Secundum. Sic refert Fagnan. loc. citat. num. 69., definitum fuisse ab hac Sacra Congregatione die 27. Novembris 1610 „quae omnium sententiis censuit hoc casu poenam suspensionis ante Concilium non fuisse correctam et hodie a Tridentino Concilio esse innovatam et propterea hujusmodi Clericum, qui adhibito dolo confictoque titulo Ordina-

natorem decepit, esse ipso jure suspensum carereque Ordinum executione.“

(Ex resol. S. C. C. diei 31. Augusti 1771. Alexandrinen.)

h) Ordinatio sine titulo.

Clerici, qui vel absque sufficienti patrimonio vel sine ullo prorsus aut ementito titulo Ordines suscipiunt, juxta cap. Neminem et cap. Sanctorum distinction. 70., ab exercitio Ordinum suspensi remanent, et si in Ordinibus ministraverint irregulares evadunt; hanc veterum canonum severitatem quodammodo temperavit Innocentius III. in cap. Cum secundum 16. de Praebendis, qui ita scripsit Episcopo Zamorensi: Licet autem Praedecessores nostri Ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in injuriam Ordinantium irritas esse voluerint et inanes, Nos tamen benignius agere cupientes, tamdiu per Ordinatos vel Successores eorum provideri volumus Ordinatis, donec per eos ecclesiastica Beneficia consequantur. Concilium Tridentinum sess. 21. cap. 2. de reform. praecipit, quod nullus ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet eum Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficiat, pacifice possidere. . . . Patrimonium vero vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi. quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate vel commoditate Ecclesiarum suarum, eo quoque prius perspecto patrimonium illud vel pensionem vere ab eis obtinere taliaque esse, quae eis ad vitam sustentandam satis sint atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari aut extinguī vel remitti, nullatenus possint, donec beneficium ecclesiasticum sufficiens sint adepti vel aliunde habeant unde vivere possint,

*antiquorum Canonum poenas super his innovando.*

(Ex resol. S. C. C. diei 11. Septembris 1784. *Visen.*)

*Contra eos, qui ad sacros Ordines promoventur sine titulo praetextu habitus religiosi et monasterii, ubi degunt, quamvis nullam regulam sint professi. Anno 1568.*

*Pius Papa Quintus.*

Ad futuram rei memoriam.

Romanus Pontifex sacrorum Conciliorum Auctor et interpret, illa quae in huiusmodi Conciliis a prudentibus Patribus in Spiritu sancto legitime congregatis salubriter sancita sunt, pro sui pastoralis officii debito, dum aequitas, honestas et decus suadet, sicuti declarare et moderari, ita etiam ad alios casus extendere consuevit. Sane cum non decet divino ministerio adscriptos cum Ordinis dedecore mendicare aut sordidum aliquem quaestum exercere, in sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Clericus saecularis, quamvis alias moribus, scientia et aetate esset idoneus, ad sacros Ordines promoveretur, nisi prius legitime constaret, eum Beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honeste sufficeret, pacifice possidere vel alias ordinari non posset, nisi juxta decreti ab ipso Concilio desuper editi formam et tenorem. Cum autem nulla in huiusmodi decreto religiosorum Clericorum mentio facta fuerit ac propterea nonnulli (uti moleste accepimus) caeterorum Ordinum Religiosi seu Canonici vel Clerici intra claustra Monasteriorum seu Domorum, more Regularium in communi viventes, qui nunquam vel nonnisi ad certum tempus professionem emittunt et ex claustro exire vel dimitti, ad saeculum redire libere et licite possunt,

religionis praetextu absque titulo sufficientis beneficii, nec juxta dicti decreti tenorem ad sacros Ordines se promoveri praetendunt et a nonnullis Episcopis passim promoveantur, atque inde plerumque illud inconueniens eveniat, ut sic promoti et a claustro exeuntes et per saeculum vagantes vel mendicare vel sordidum quaestum exercere, non sine ipsorum dedecore ac Ordinis vilipendio et quamplurimorum Christifidelium scandalo cogantur. Nos igitur qui singulorum Dei Ministrorum honorem et decus (quantum in nobis est) sinceris exoptamus affectibus, motu proprio et ex certa nostra scientia deque apostolicae potestatis plenitudine, hac perpetuo valitura sanctione decretum praedictum de Clericis saecularibus loquens, ad omnes et singulos, etiam cujuscunque Ordinis Clericos religiosos sive saeculares, more religiosorum viventes in communi, non professos, harum serie extendimus et ampliamus ac religiosos et aliis praedictis non professis ut ad sacros Ordines promoveri, nec non omnibus et singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis et Episcopis, gratiam et communionem Sedis apostolicae habentibus, ut Ordines ipsos huiusmodi religiosi personis impendere, nisi observata forma dicti decreti, Nos virtute sanctae obedientiae et sub indignationis nostrae poena interdicimus et prohibemus ac contrafacientes per annum a praestatione talium Ordinum ipso jure, suspendimus: statuentes et decernentes promotiones quarumlibet religiosarum personarum praedictarum ad Ordines huiusmodi contra ipsius decreti Concilii Tridentini formam, etiam cujuscunque licentiae illis ab apostolica Sede vel illarum Superioribus cujuscunque dignitatis, status, gradus et praecminentiae existant, etiamsi pontificali Dignitate fungantur vel Car-

dinalatus honore praefulgeant, concessae, praetextu factas, executione praedictorum Ordinum omnino carere nullasque prorsus et irritas existere siveque promotas personas in altaris ministerio ministrare non posse. Quinimo ministrantes, privilegiis, exemplionibus, immunitatibus et aliis gratiis clericis concessis omnino privari et irregularitatis aliasque in dicto decreto contentas poenas eo ipso incurrere, a quibus, nisi a Romano Pontifice vel in mortis articulo minime absolvi possint. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac quorumvis, Monasteriorum et Ordinum, etiam juramento et confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis.

Nulli ergo etc. Datum Romae apud sanctum Petrum pridie Idus Octobris 1568.

(Bull. r. t. X. p. 148. Ed. Luxbg.)

*D) Ordinatio sine titulo licita.*

Vd.: pag. 505. b.

*Pro Episcopis Vicariis apud Sinas etc. prorogatio facultatis ordinandi Indigenas illarum partium absque titulo cum Indulto eis commutandi Officium divinum.*

*Clemens Papa X.*

Ad futuram rei memoriam.

Alias emanarunt a fel. rec. Alexandro VII. praedecessore Nostro literae in simili forma Brevis, tenoris, qui sequitur, videlicet: Alexander Papa VII. Ad futuram rei memoriam. Injuncti Nobis coelitus pastoralis officii ratio postulat, ut nihil a Nobis desiderari patiamur, quo christiana religio, praesertim in longinquis partibus feliciter in dies aspirante atque adjuvante Do-

mino valeat propagari. Alios siquidem Venerabiles Fratres Franciscum Palla Helliopolitanum ac Petrum Lambert Beritensem necnon tunc in humanis agentem bo. me. Ignatium Cololendi Metellopolitanum, Episcopos, Vicarios apostolicos respective in partibus Sinarum sub certis modo et forma tunc expressis deputavimus.

§ 1. Ut autem in partibus praedictis Sacerdotum Indigenarum ordinatio facilius peragi atque ita fides catholica ibidem firmiter benedicente Domino radicare valeret, memoratis Francisco ac Petro et Ignatio Episcopis cum Christifidelibus eorumdem partium indigenis sibi respective uti Vicariis apostolicis huiusmodi pro tempore subditis, ut ipsi, licet idioma latinum non intelligerent, nihilominus, dummodo illud legere nossent eisque Canon Missae ac formula Sacramentorum Ecclesiae declararentur, ad omnes etiam sacros Presbyteratus Ordines servatis alias servandis promoveri et promoti in illis etiam altaris ministerio ministrare libere et licite possent et valerent, dispensandi, necnon recitationem officii divini, horarum scilicet canonicarum eisdem Christifidelibus in recitationem aliarum precum in eorum lingua arbitrio suo commutandi facultatem auctoritate apostolica ad septennium dumtaxat concessimus et impertiti sumus et alias, prout in ternis nostris in simili forma Brevis literis die 10. Sept. 1659 et die 20. Septembris 1660 respective desuper expeditis, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Cum autem, sicut pro parte praefatorum Francisci et Petri Vicariorum apostolicorum, ut praefertur, deputatorum, Nobis nuper expositum fuit, dictum septennium versus finem

jam labatur, bona vero stabilla Stensium ad possidentes absolute non spectent, sed illorum Domini sunt Reges, qui dicta bona, quibus libitum est, vita durante concedunt ac proinde super huiusmodi bonis perpetui patrimonii titulus pro Ordinandis ad sacros Ordines per eorum parentes seu alios in illis partibus assignari non possit, Nos propagandae firmiterque radican- dae in ejusdem partibus catholicae fidei, quantum nobis ex alto conceditur, consultum esse cupientes dictosque Franciscum et Petrum Vicarios apostolicos amplioris favore gratiae prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a jure vel ab hominibus quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutas fore censentes, de Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium super negotiis spiritualibus regni Sinarum a Nobis specialiter deputatorum consilio, septennium praefatum ad alios septem annos a fine ejusdem Septennii computandos dicta auctoritate tenore praesentium prorogamus, extendimus et ampliamus.

§ 3. Praeterea praefatis Francisco et Petro necnon aliis duobus Episcopis, per eos seu eorum alterum aut primum ab eorum altero superstite ordinatum respective, vigore aliarum binarum nostrarum etiam in forma Brevis litterarum die 4. Febr. 1664 et de die 28. Febr. proxime praeteriti respective expeditarum, quarum tenores ibidem pro plene et sufficienter expressis haberi volumus, consecrandis, quos pariter Vicarios apostolicos in partibus praedictis per easdem litteras sub certis modis et forma ibidem expressis deputavimus, ut ipsi tam re-

siduo primodicti Septennii, quam aliis septem annis per praesentes prorogatis durantibus, Clericos memoratarum partium Indigenas, etiam absque titulo servatis tamen alias tam ex sacrorum Canonum, quam ex primodictarum vastrarum litterarum praescripto servandis, ad sacros et Presbyteratus Ordines promovere licite et libere possint et valeant, facultatem elapsis septem annis per praesentes litteras prorogatis illico expiratarum auctoritate et tenore praefatis concedimus et impartimur, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis praedictorum Cardinalium. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus provincialibusque Conciliis editis generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 13. Martii 1665. Pontificatus nostri auno decimo.

§ 4. Et subinde fel. record. Clemens Papa IX. praedecessor noster facultatem eidem Episcopis Vicariis apostolicis per praesentem litteras a memorato Alexandro praedecessore ad septennium prorogatas et de novo concessas respective ad alios septem annos pariter auctoritate extendit et prorogavit et alias prout in ipsius Clementis praedictis literis pari in forma Brevis die 13. Octobris 1669 desuper expeditis, quarum tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius continetur.

§ 5. Nunc autem Nos, ut christiana religio et catholica fides, Domino benedicente, in partibus praedictis firmiter stabilis et solidari et latius propagari valeant, pro commissa nobis coelitus pastoralis officii cura salubriter providere ac supradictos Episcopos Vicarios apostolicos amplioris favore gratiae

prosequi volentes et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes et absolutos fore censentes, de particularis Congregationis Venerabilium Fratrum nostrorum ejusdem S. R. C. Cardinalium negotiis praedictis fidei praepositorum consilio easdem facultates, quae dictis Episcopis Vicariis apostolicis per praesentem litteras a praefato Alexandro praedecessore ad septennium prorogatae et de novo concessae ac ad alios septem annos a dicto Clemente praedecessore per suas praefatas litteras prorogatae fuerunt, respective, ut praefertur, ad aliud septennium a fine eorumdem septem annorum a Clemente praedecessore prorogatarum computandum, quo et residuo temporis, ut profertur, prorogati durantibus, ipsi Episcopi Vicarii apostolici illis, quos ad sacros Ordines vigore facultatum huiusmodi promoverint, etiam recitationem officii divini horarum videlicet canonicarum in alias preces per eos diebus singulis recitandas eorum arbitrio auctoritate nostra apostolica commutare, libere pariter et licite possint et valeant, servata tamen et salva in reliquis remanente earumdem Alexandri et Clementis praedecessorum litterarum forma et dispositione, dicta auctoritate harum serie prorogamus pariter et extendimus et ampliamus, salva semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

§ 6. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus apostolicis necnon omnibus et singulis illis, quae in praedictis Alexandri et Clementis praedecessorum litteris concessa sunt,

caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud s. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die 23. Decembris 1673.

I. G. Slusius.

(Bull. r. t. XI. p. 85. Ed. Luxbg.)

k) Ex Pecuniis contributis ab Ordinandis.

Vd. p. 506—512.

Anno 1845 Episcopus B. in B. supplicem porrexit libellum sa. me. Gregorio XVI. exponens quod Concilii Tridentini sanctio, ne quis Clericus ad Ordines sacros promoveatur, nisi vel beneficium ecclesiasticum vel patrimonium seu pensionem vere possideat, quod sibi ad vitam sustentandam satis sit, in B. usque ad gallicas perturbationes integre custodita perdifficilior servatu evasit, postquam suppressis injuria temporum Ecclesiis collegiatis ac beneficiis simplicibus penitus extinctis clerici ad Ordines sacros assumendi plerumque bonis patrimonialibus destituti reperiantur. Etenim si paucissimos excipias (tertia ad summum circiter ordinandorum pars) patrimonio sufficienti provisos, caeteri omnes vel patrimonium habent a parentibus cum assignatione omnium bonorum confectum, licet partes hereditatis, quae caeteris liberis jure debentur, ipsis ita auferantur, vel ex privata charitate obtinent titulum ordinationis, qui tamen nihil habet roboris et utilitatis sive in forma privata, ut plurimum intuitu taxae majoris a fisco percipiendae, praebetur, omnique juris civilis praesidio destituatur; sive in forma authentica conficiatur, cum hoc in casu nec ullus clericorum deinceps titulum ordinationis ab aliquo benefactore reciperet, si una vice ad solvendo patrimonii fructus adigeretur. Unde non raro accidit ut sustentationem vitae quam